

## VINDICIAE OVIDIANAE

In metamorphoseon Ovidianarum carmine sat multi sunt versus, qui cum aut non omnibus libris scriptis exhibeantur aut omnium exstante testimonio corruptela quadam suspecti videantur, a viris doctis proscribi soleant. Ex quibus quoniam eos tractavimus locos, quibus duplices servatae sunt recensiones<sup>1</sup>, iam de ceteris disputabimus, si fieri possit ut hic illic poetam a criticorum arbitrio defendamus.

Atque non ab Iove, sed ab Orco principium disputationis fiat. Versum enim IV 446 (R<sup>2</sup>) cum optimi libri non exhiberent, in N(eapolitano) autem alia manus in margine adscripsisset, Hein-sius causis non allatis loco cedere iussit. Describuntur urbs Stygia et qui eam incolunt:

<i>parsque forum celebrant, pars imi tecta tyranni,</i>	444
<i>pars aliquas artes, antiquae imitamina vitae</i>	445
<i>exercent, aliam partem sua poena coercet</i>	446

Quos versus qui legit nescio in quo verbo offendat; neque enim inepte additur verbum exercendi neque abundat poenarum commemoratio, quae si abesset miraremur quod una pars et ea quidem quae aliis locis maxime urgeretur a poeta omissa esset<sup>2</sup>. Recte autem Bothius<sup>3</sup> verba ipsa elegantia et necessaria ad absolvendam descriptionem esse defendit. *artem exercere* legitur etiam met. XV 360 II 618, verba autem *aliam partem sua poena coercet* Vergilianum versum in memoriam revocant Aen. VI 743: *quisque suos patimur manes*; qui usus pronomini *suus* perquam

<sup>1</sup> Festschrift für I. Vahlen 1900 p. 337 sqq.

<sup>2</sup> Nam quod Hauptius dixit de poenis eorum qui essent damnati paulo infra satis multa referri, inde hoc potius efficitur eos in his versibus quibus argumenta complexus est poetam silentio praeterire non potuisse.

<sup>3</sup> Vindiciae Ovidianae Gotting. 1818 p. 38.

Ovidianus est<sup>1</sup>. Qua re nisi quis verba ipsa indigna esse poeta ostendat, sana argumentandi ratio postulare mihi videtur ut non subditivum putemus versus alioquin utilem et necessarium, praesertim cum memoria teneamus alios quoque versus genuinos in M(arciano) omissos et in N a manu posteriore additos esse<sup>2</sup>.

Iam ad intricatam venimus quaestionem et in qua aliquid dubii utique relinqui non ignorem. Dubium enim fuisse locum IV 764—9 etiam scribis vel memoria librorum ostendit; nam cum ad idem exemplum redeant M et Laur(entianus) tamen inter se differunt una voce et ea quidem qua quaestionis summa continetur; exhibent enim haec:

<i>postquam epulis functi generosi munere Bacchi</i>	764
<i>diffudere animos cultusque genusque locorum</i>	765
<i>quaerit Lyncides (ita M et Laur. m. 2, a/////acides L<sub>1</sub>)</i>	
<i>moresque animumque virorum.</i>	766
<i>quae simul edocuit, 'nunc o fortissime', dixit</i>	767
<i>'fare precor, Perseu, quanta virtute quibusque</i>	768
<i>artibus abstuleris crinita draconibus ora'.</i>	769

Quibus in versibus ut quis respondisset appareret, Hauptius *Perseu* mutavit in *Cepheus* neque tamen quo modo altera ex altera voce orta esset facile explicare potuit<sup>3</sup>. Atqui versus non tales omnibus libris exhibentur, sed deteriores et manus saeculi XIV in N, in quo verba quae fuerant post *quaerit* erasa sunt, hunc habent interpositum vel has duorum partes:

quaerit <*Abantiades: quaerenti protinus unus  
narrat*> Lyncides

quae verba ut cum partibus versus 766 elucet aptissime coire, ita si essent genuina facillime coniceres esse omissa scriba a verbo *quaerit* oculis aberrante ad *narrat*, quod in sequenti versu legeretur. Accedit quod in verborum conexu *quaerit: quaerenti* ingenium Ovidianum agnoscere nobis videmur, qui multis locis ita enuntiata alterum cum altero coniunxit<sup>4</sup>. Quare non mirum est quod Bothius<sup>5</sup> et Bachius adeo hos versus probaverunt ut ne

<sup>1</sup> cf. Ehwaldii indicem s. v. Pronomen.

<sup>2</sup> I 326, 477, 698 III 175 V 342 VIII 87 XI 437 sq. XIII 57, 82 XIII 276—343, alios; cf. Riesii praef.<sup>2</sup> p. XXXI.

<sup>3</sup> Nam Merkelium *Qui* v. 769 scripsisse ut idem vitium emendaret vix dignum est quod commemoretur, quod adeo nulla exstat vox ad quam pronomen relativum referatur, ut omnes eo Lynciden ipsum significari necesse sit opinentur.

<sup>4</sup> cf. Festschrift für Vahlen p. 354.

<sup>5</sup> l. l. p. 41 sq.

sentirent quidem in Lyncidae nomine inesse difficultatem. At monuit Hauptius Lyncidae et Abantiadae nominibus eundem notari hominem, quo fieret ut Perseus sibi ipse respondens fingeretur; quamquam interpolatione Abantiadae nomen esse ingestum quia Lyncidae nomen non recte intellectum esset, viro doctissimo vix concedemus, quod illud nec minus rarum est neque facilius intellegitur, cum ne eo quidem semper idem designetur Perseus. Quod cum perspexisset Bannierus<sup>1</sup> hos efficere conatus est versus:

*quaerit Lyncides: quaerenti protinus unus*

*narrat Lyncidae moresque animumque virorum;*

in quibus tamen cum repetitio nominis causa careat, tum neque cur Abantiadae nomen in deterioribus libris insertum sit apparet neque illa difficultas tollitur qua respondentis significationem desiderari diximus; neque enim satisfacere adiectivum *unus* exempla a Merkelio allata praef. p. XV demonstrant, quia eis semper qui loquitur etiam accuratius describitur additis verbis *Lycia de gente* aut *ex numero procerum* aut aliter. Sed Lyncidae nomine Perseum notari num certum est? Neque enim dubium est quin poeta, cum tot nominibus patronymicis uteretur — Perseus Abantiades, Acrisioniades, Agenorides, Lyncides dicitur —, etiam intra paucos versus eodem nomine non eundem nominaverit virum. Agenorides quidem IV 563 Cadmus appellatur, 772 Perseus; Abantiaden poeta Acrisium dicit IV 607, IV 673 et V 138, 236 Perseum. Quod si spectabimus, in Lyncidae nomine ipso, si alium atque sequentis libri versibus 99 et 185 significat, minime offendemus, dummodo recte usurpetur ad significandum quem desideramus; significetur autem necesse est Cepheus, quia consentaneum est regem et aedium dominum ipsum qualis sit regio et quales mores sciscitanti hospiti exponere et ipsum ex illo quaerere de rebus antea gestis, quemadmodum Alcinous Ulixem interrogat, Aeneam Dido. Atqui quamquam ille Euripide auctore (fr. 881 Nauck) Beli fuit filius, frater Aegypti, Danai, Phinei, tamen incertam eam rem fuisse Apollodorus bibl. II 1, 4, 3 (ed. Wagner p. 53) testimonio est, quod auctorem necessario addendum esse putavit verbis: ὡς δὲ φησὶν Εὐριπίδης καὶ Κηφῆος καὶ Φινεὺς προσέτι, scilicet quia hac de re dubitare liceret. Ac ne Euripidem quidem omnibus in fabulis eandem servasse rationem Robertus monuit; Perseus enim nepos fuit Acrisii, cui ipse Lynceus, Beli nepos, avus esse dicebatur, uxorem autem duxit Andromedam, quae si

<sup>1</sup> Fleckeis. ann. 1895 p. 833.

Apollodori auctoritatem magni ducimus ipsa neptis putanda est Beli; quam rem absurdam poetam illum fabula Andromedae protulisse nemo fere est qui credat<sup>1</sup>. Quare alios Andromedam Cephei filiam non Beli neptem, sed Lyncei stirpem dixisse nescio an veri fiat simile. Neque omnes Cepheum Beli fuisse filium putasse eo evincitur, quod et Hesiodus et Stesichorus<sup>2</sup> Cassi-peam, uxorem eius, filiam Arabi nepotis Beli dixerunt, Aeschylus denique Belum, duos tantum habuisse filios rettulit<sup>3</sup>, neque minus posterioribus saeculis qui scripserunt nomen patris Cephei variant, cum Hyginus<sup>4</sup> testibus quibusdam nixus Phoenicem, Nonnus<sup>5</sup> Agenorem dicat. Atque hoc quoque commemorabimus, cum Nonnus Agenorem Cepheum, alii autem scholiasta Eur. Phoen. 247 auctore ut Pherecydes uxores Danaï et Aegypti genuisse narrarent, facillime fieri potuisse ut inter Agenorem et Cepheum illa Aegypti stirps Lynceus interponeretur. Quam ob rem qui nominum in illis fabulis varietatem satis perspexerit vix dubitabit quin fabula ea exstare potuerit, qua Cepheus Lyncides diceretur. Quam Ovidius eo magis sequi potuit, quod nondum Perseum Lynciden appellaverat, id quod quinto primum fecit libro. Quae si probabilis videtur ratiocinatio, ne in Lyncidae quidem nomine iam haerebimus, quippè cum cetera omnia Ovidianum redoleant versum. Accedit quod quae in poeta vituperant viri docti eadem cadunt in interpolatorem, nisi quod veri est etiam multo dissimilius, si quis inseruisset librarius hunc versum, eum Lyncidae nomine quo septuaginta versibus infra Perseus significaretur abusurum fuisse, quia certe circumspexisset quod nomen Cepheo indi posset. At sicui rationes illae non satis probantur, Ovidium dormitasse malo existimare, praesertim quia si omisisset illa verba etiam magis dormivisset. Quod si codicum M et Laur. qui ex eodem fluxerunt archetypo perpendimus lectiones cum hic Abantiadae, ille Lyncidae nomen afferat, quasi vestigia corruptelae cognoscere nobis videmur, quae omissis illis versuum partibus et non satis perspicue aut in margine aut supra verba adscriptis orta est.

<sup>1</sup> Archaeol. Zeitg. 36 p. 19 cf. schol. ad Aesch. suppl. 305 (Kirchhoff).

<sup>2</sup> Hes. ed Rzach κατάλ. 45 Stesich. Bergk Poet. lyr. III<sup>4</sup> fr. 64 cf. Roscher Myth. Lexicon II 1 1109.

<sup>3</sup> Βῆλον δίπαιδα Suppl. 305.

<sup>4</sup> astron. II 9 quamquam de Euripide vix probabilia profert neque de ceteris quicquam constat cf. Roscher l. l. II 1, p. 1110.

<sup>5</sup> Nonn. II 682.



efficit. At si M spectamus, apparet lectionem *serpit* veram esse nequire, nisi versum intercisisse putemus quo quid serperet significaretur; ita igitur distinguenda essent verba: *solverat alta quies; nullo cum murmure serpit* . . . . . Quid autem serpere poeta dixerit, postquam de animalibus locutus est, non satis perspicio nisi fluminis aut aequoris aquam voluerit<sup>1</sup>, ut scripsit V 587: *invenio sine vertice aquas, sine murmure euntes* et XIV 598: *tectus harundine serpit in freta flumineis vicina Nymicus undis*; nam huic descriptioni qua aer et silvae tacere dicuntur haud absurde flumina aut aequora addi posse testis est Vergilii locus Aen. IV 523 sq. aut Statii Theb. X 143 et X 94 sqq. Neque neglegendum est quod in M et N etiamnunc vestigia exstant ex quibus substantivum feminini generis antecessisse concludas, cum *sopite similis* scriptum sit. Hunc igitur sententiarum tenorem cognoscimus:

<i>homines volucresque ferasque</i>	
<i>solverat alta quies; nullo cum murmure serpit</i>	186
. . . . .	(fluminis unda)
<i>sopitae similis; nullo cum murmure saepes</i>	186 <sup>a</sup>
<i>immotaeque silent silvae.</i>	

Quibus in versibus quod dormienti similis dicitur aqua, non aliter Statius silvas quasi homines somno oppressos cacumina demittere narrat Theb. X 144; *similis* autem poetae in deliciis est, quippe qui saepissime ad comparandas res utatur hoc adiectivo<sup>2</sup>; saepes denique non minus recte in hac descriptione afferuntur quam a Vergilio in simili *aspera dumis rura* Aen. IV 526. Ad extremum verba illa repetita: *nullo cum murmure* artem Ovidianam prae se ferunt<sup>3</sup>. Facillime autem quomodo illi duo omitti poterint versus (186<sup>a</sup> et 187) intellegitur; nam cum simillime exeant versus *nullo cum murmure serpit* et *nullo cum murmure sepes* atque ab eadem syllaba *so* incipiant, non mirum est quod scriba ab altero ad alterum aberravit versum. Qua re fortasse etiam in eis codicibus qui versum 187 servaverunt corruptela orta est; licet enim coniectare illos versus primo omissos, postea in margine aut inter ceteros versus insertos esse, adeo negligenter tamen, ut non satis intellegi possent. Corrupto vero loco et omisso

<sup>1</sup> cf. quae Bachius ad hunc locum adnotavit.

<sup>2</sup> cf. VI 532 VII 784 XV 466; alios locos suppeditant indices.

<sup>3</sup> cf. exempla quae attuli in libello in Vahleni honorem scripto p. 344 sq.



uno versu scribae sententiam suo quisque Marte restituere non veriti sunt; ut in N aliquis *stertunt* coniecit et *sopitae* quod recte descriptum erat in *sopitis* mutavit<sup>1</sup>.

Altera quaestio est de libri VII versu 762, quem omnes fere editores nunc omittere solent. Cephalus enim cum quae iaculo effecerit narret, ita duas narrationis partes inter se connectit, ut interponat:

<i>carmina Laiades non intellecta priorum</i>	759
<i>solverat ingenis et praecipitata iacebat</i>	760
<i>immemor ambagum vates obscura suarum.</i>	761
<i>scilicet alma Themis nec talia linquit inulta.</i>	762
<i>protinus Aoniis inmittitur altera Thebis   pestis.</i>	763

Versus 762 omissus in MNLaur. a manu recentiore additus est; proscriptus est autem a Merkelio et Hauptio qui eum absurdum et contra sententiam quae in narratione de Oedipo et Sphinge facta inesset male excogitatum dixit, postquam versu 759 *Laiades* corruptum esset in *Naiades* aut *Naiadum*. Sed cum ne corruptam quidem lectionem ullam interpolandi versus causam suppeditasse<sup>2</sup> probabile est, tum minime absurdum est dicere, quod Oedipodis consilio altera pestis ab ipsis missa interiisset, deos, ut hoc ulciscerentur, alteram misisse non minus periculosam. Quod quo modo sententiae totius narrationis contradicat non sentio, cum non dubitari possit quin pestis fuerit Sphinx a deis missa<sup>3</sup>. Apollodorus quidem III 5, 8, 2 (p. 122 Wagner) narrat: ἔπεμψε γὰρ Ἥρα Σφίγγα et Hyginus fab. LXVII: *interim Sphinx Typhonis in Bocoetiam est missa*. Quin etiam flagitari videtur ille versus, ut cur altera bestia irruerit in fines Thebanos exponatur. Nam etiam cur aper Calydonius missus sit pluribus versibus explicat poeta et Dianam exclamantem fingit: *non et dicemur inultae* VIII 280. Neque vero verba ipsa ea sunt quae ab Ovidio scribi non potuerint; saepissime enim poeta particula quae est *scilicet*

<sup>1</sup> Nam vix credo pro *stertunt* scribendum esse *sternunt* ut legendum sit hoc fere: *nullo cum murmure sternunt* ( *corpora per terras, vix unda in flumine* ) *serpit sopitae similis* quia neque sternendi verbum recte cum vocibus quae sunt *nullo cum murmure* coniungi videtur neque si hanc accipimus coniecturam, tam facile quo modo facta sit corruptela declarari potest.

<sup>2</sup> Versum de quo agimus legisse atque optime cum falsa illa lectione *Naiades* coniunxisse Lactantium Placidum qui dicitur sciremus, si certum esset libri VII fabulam XXVIII ab eo scriptam esse.

<sup>3</sup> cf. Bethe Theban. Heldenlieder p. 16.

utitur et id quidem plerumque ineunte versu, ut VII 791 IX 346 XIII 459 a. l., adiectivum autem *inultus* extremum versus locum tenere solet ut IX 131 VIII 280 IX 415, qui versus etiam sententia cum eo de quo agimus aliquantum consentit. Neque in adiectivo *alma* offendendum est, quoniam deas etiam iratas hoc nomine ornat Ovidius ipse met. X 230 XIV 478. Accedit quod particula *nec* acutior exprimitur sententia quam quae insipientis videatur esse interpolatoris, cum dicatur quamvis fas videatur monstrum necare, tamen a deis missum ulciscendum esse<sup>1</sup>. Quae cum ita sint, non facio cum iis qui absurdum opinantur hunc versum et subditivum.

Neque magis eorum partes sector, qui versum VIII 87, quamquam iam Priscianus attulit V 13, 16 (Hertz p. 152) tamen ut spurium damnant<sup>2</sup>. Scylla enim postquam diu haesitavit, cum tandem animum induxisset, ut hosti gratum faceret, crinem patri eripere,

<i>thalamos taciturna paternos</i>	84
<i>intrat et heu facinus fatali nata parentem</i>	85
<i>crine suum spoliat praedaque potita nefanda</i>	86
<i>fert secum spolium celeris (sceleris N<sup>2</sup>) pro-</i>	87
<i>gressaque porta</i>	
<i>per medios hostes . . . 88 . . . pervenit ad regem</i>	89

Ex quibus versum 87 in M et N non a prima manu scriptum supervacaneum et offensionis plenum dicunt, quia *spolium* non apte legatur, postquam antecesserit *praeda potita*. Quod non recte obici multi ostendunt loci, quibus poetae quod iam substantivo aliquo notarunt idem postea alio significant vel in eodem enuntiato; exempla profero haec: Tib. II 5, 35: *saepe gregis diti placitura magistro ad iuvenem festa est vecta puella die* Luc. Phars. II 726 (*aequora . . . mari*) Stat. silv. I 2, 59 sq. (*stratis . . . lecto*) Ov. met. XII 129 sq.: *comminus hostem ense petens parmam gladio . . . cavari cernit*<sup>3</sup>. Atque concedendum est certe poeticum decere colorem quod accuratius depingitur virgo domo excedens portaque progressa et optime respondere taciturnitati intrantis egredientis velocitatem<sup>4</sup>. Neque in copia verbo-

<sup>1</sup> De particula *nec* cf. XIII 351 et quae Ehwaldius ad hunc v. adnotavit.

<sup>2</sup> quod recte vituperat Magnus Progr. d. Sophiengymn. Berl. 1887 p. 9.

<sup>3</sup> cf. Vahlen prooem. ind. lect. Berol. MDCCCI p. 12.

<sup>4</sup> Nam lectionem *celeris* praefero non modo quia Priscianus ob

rum nec in repetitione vocum ex eadem stirpe derivatarum *spoliat* et *spolium* offensionem inesse alibi<sup>1</sup> exemplis illustravimus.

Omitto libri X versum 305, qui intercidit in M solo, defenditur autem cum argumentis quae Ehwaldius protulit, tum versus ipsius forma<sup>2</sup>.

Accedimus igitur ad XII 230 sq. quos omiserunt M et N, nisi quod in hoc addidit manus recentior. Lapithis enim et Centauris turbantibus<sup>3</sup> nuptias et mulieres rapientibus Theseus Eurytum compellat:

<i>‘quae te vecordia’</i> Theseus	227
<i>‘Euryte pulsat’</i> ait <i>‘qui me vivente lacessas’</i>	228
<i>Pirithoum violesque duos ignarus in uno’.</i>	229
<i>neve ea magnaminus frustra memoraverit</i>	230
<i>heros,</i>	
<i>submovet instantes raptamque furentibus</i>	231
<i>aufert.</i>	
<i>ille nihil contra; neque enim defendere verbis</i>	232
<i>talia facta potest, sed vindicis ora protervis</i>	233
<i>insequitur manibus generosaque pectora pulsat.</i>	234

Versus quos notavimus num a poeta scripti esse possint aut necessarii sint quaestio est. Ac primum quidem nihil in eis inest quod poetam non deceat; quin etiam quod particula *neve* adhibetur non antecedente *ne*, id plane ad usum Ovidianum conformatum est. Neque ut spurios putem versus eo adducor, quod verba *ille nihil contra* non proxime Thesei orationem sequuntur; quod necesse esse quis demonstrabit? Fieri enim potest ut poeta, siquid addere vult quod verbis eius qui dicit ipsis efficiatur aut quod simul cum eis fiat, id eis statim adnectat, deinde ad orationem ipsam narrationem referat; cuius rei exempla sunt non modo quos alibi<sup>3</sup> defendimus versus VIII 604 sqq., sed etiam XIII 381 ubi oratione Ulixis conclusa poeta pergit: *et ostendit signum fatale Minervae*, tum demum quae ille oratione effecerit explicat: *mota manus procerum est*. Celeritas autem qua Theseus

id ipsum versum attulit, ut femininum adiectivi hoc exemplo illustraret, sed quod, eam si probamus, ad descriptionem novi aliquid additur quo omnia quae Scylla egerit clarius pingantur et tamquam oculis obversentur; at *sceleris* videtur exstare in N, de M ambiguum est, quia ex Kornii adnotatione *celeris*, ex Riesii praefatione *sceleris* legi sequitur.

<sup>1</sup> Festschr. f. Vahlen p. 347. Ceterum velim comparetur similis locus Ovidianus VII 155 sqq.

<sup>2</sup> qua de forma diximus l. l. p. 359 sqq.

<sup>3</sup> l. l. p. 353.

facinus ulciscitur raptamque mulierem in libertatem vindicat optime describitur et particula *neve* qua quae agit ille arte coniunguntur cum eis quae dixit et relato versu 232 ad orationem ipsam, quasi nihil intercessisset. Intercessisse autem nonnulla mihi quidem cum totus narrationis tenor tum vox *vindicis* v. 233 videtur ostendere; erat enim paene necesse de virgine rapta aliquid addere et consentaneum amicum prius amici novam nuptam liberare quam flagitium punire. Versus denique 230 Ovidianum esse colorem ostendit VIII 396: *talìa magniloquo tumidus memora-  
verat ore.*

Eiusdem libri versus 434—39, quos paucis deterioribus exhibitos ut non pulchros Riesius omnino non affert, recte recepit Ehwaldius secutus Washietlum<sup>1</sup>, qui Lucretii imitationem (II 391 sqq.) in iis cognosci posse arbitratus est. Omnes enim elocutiones poeticum prae se ferunt ingenium, ut *volubilitas capitis* pro volubili capite, *cribrum rarum*, alia. Duas autem similitudines ab interpolatore tam apte inventas esse probabile non est, Ovidius saepius duas una attulit quales sunt VIII 835 sq. III 183 sq. 487 sq. Neque ex atrocitate descriptionis argumentum petere licet quo spuriam eam esse demonstramus. An Vergilius arma fingit *sanguine . . . sparsoque infecta cerebro* V 413 aut *cruenta cerebro* IX 750 et in ludis hoc describit: *effractoque inlisit in ossa cerebro* V 480, Homerus multis verbis narrat quomodo socii Ulixis a Cyclope arrepti quasi catuli humum cerebro asperserint, ille autem tamquam leo edat<sup>2</sup>: Ovidio talia putamus describere non licuisse, praesertim cum etiam Hecubae ultionem non humane depingat XIII 561 sqq.? Ac ne hoc quidem neglegendum est quod haec tam atrox descriptio in pugnae narratione Lapitharum et Centaurorum invenitur, in qua plus crudelitatis quam in aliis proeliis afferre non absonum erat. Quod autem descriptio tam taetra etiam similitudinibus ampliatur, hoc non magis offendit quam quod Homerus terrores narrationis qua Polyphemum caecari exponit similitudine ex fabri officina petita auget 1 383 sqq.

In eodem versuum numero qui ne commemoratione quidem digni videntur editoribus est versus qui legitur post XIII 398 in N a manu recentiore addito, post 400 in cod. Berolin. a Bothio collato:

<i>victor ad Hypsipyles patriam clarique Thoantis</i>	398
<i>et veterum terras infames caede virorum</i>	399

<sup>1</sup> de similitudinibus Ovidian. p. 88. Wien 1883.

<sup>2</sup> Od. IX 289 sqq.

*transiit et<sup>1</sup> tandem portu votoque potitus* \*  
*vela dat ut referat, Tirynthia tela, sagittas.* 400  
*quae postquam ad Graios domino comitante reuexit* eqs. 401

Puto autem versum illum non tam propter elocutionem aut offensionem quandam damnatum esse quam quia non suo loco in libris legebatur. Sed si ut oculis proposuimus post v. 399 legebatur, quid tandem in eo offensionis reperiet qui poetae sermonem a copia verborum minime abhorrentem cognitum habebit. Neque tamen prorsus abundare eum existimo, quod quo modo Ulixes sagittas Herculis adeptus sit, adverbio *tandem* ita describit, ut non facile illi quod in animo habebat contigisse significet. Quod si quis recordatur orationis illius, qua se Philoctetae quamvis ipsi suscenseret persuasurum esse ut in gratiam cum Graecis rediret Ulixes audacter confirmavit (XIII 328—338), paene necessarium fuit poetam hanc difficultatem uno verbo saltem attingere, praesertim cum significationi Lemni insulae in qua nihil fere ponderis inerat nimis copiose duos tribuisset versus. Immo descriptio interposito illo versu prorsus colorem Homericum prae se fert. Elocutionem autem Ovidianum esse docent hi loci XIII 251 *captivo victor votisque potitus* IX 313 XI 265, 527. Quare, modo rectum ei locum attribuas, nescio an hunc quoque versum genuinum esse iudices.

Haereo tamen atque maxime haereo in versu, qui in N Polyphemi precibus additur, ubi Galatae ne corpus suum hirtum reformidet supplicat et exemplis turpitudinem minuere studet:

*turpis sine frondibus arbor,* 846  
*turpe pecus mutilum, nemus est absque* \*  
*arbore turpe,*  
*turpis equus nisi colla iubae flauentia uelent,* 847  
*pluma tegit volucres, ovibus sua lana decori est:* 848  
*barba viros hirtaeque decent in corpore saetae.* 849

Ac de v. 848 antea proscripto, quia argumentationi Magni fidem habuit novissimus aditor ut eum in textu relinqueret, disserere supersedemus. Sed prior ille quem non significarunt numero offensiones plures continet et si versum ipsum examines et si eum cum antecedenti coniungas. Nam displicet post vocem *arbor* commemoratio nemoris, quamquam solent poetae post singulas arbores silvas afferre aut nemora ut Verg. ecl. III 56 Ov. met. II 407 sq. XI 46 sq. neque prorsus ineptum erat addere, ut *arbor*

<sup>1</sup> Hanc lectionem praefero ei quae in N legitur: *transierat tandem.*

fronde carens non pulchra esset, ita nemus<sup>1</sup> si arboribus careret esse vile. Quin etiam, cum nemora ad arbores quae antecedunt referantur, Alexandrinorum usum cognoscas qualis exstat apud Theocr. X 30. Neque<sup>2</sup> gravior offensio in eo inest quod mutilae boves dicuntur capillis privatae<sup>3</sup>, praesertim cum verba *turpe pecus mutilum* eandem vim praebeant Ov. art. am. III 249. Quae ex repetitione, cum soleat Ovidius easdem versuum partes identidem adhibere<sup>3</sup>, nescio an credas aliquid subsidii accedere versui. Sed summa restat difficultas; neque enim praepositione *absque* poetam illius aetatis uti potuisse Buechelerus monet et qui exempla circumspiciet, vel in pedestri sermone rarissimum et admodum dubium esse eius usum concedet<sup>4</sup>. Quare quamquam versus forma artem Ovidii redolet, cum idem verbum primo atque extremo loco legatur, tamen vix fieri potest, quin adulterinum eum putemus et pactum a scriba quodam, qui ex parte *turpe pecus mutilum* propter simile argumentum adscripta integrum efficere voluit versum<sup>5</sup>.

Maiore autem licentia viri docti sunt usi, cum tot versus omnium librorum auctoritate defensos in suspicionem vocarent. Quos cunctos ut enumeremus et tractemus fieri nequit, praesertim cum docti plerique quasi libidinem quandem delendi secuti sint ne conatu quidem facto interpretandi. Elegimus igitur eos potissimum locos quos plures et ei qui in his studiis diu fuerunt occupati aliena manu invectos esse censuerunt. Exordium autem sumemus a III 249 sqq. Actaeonis enim de scelere et poena quae legitur narrationem his versibus nunc concludunt:

<sup>1</sup> Nemus enim locum dumetis sentibusque impletum et campos significare posse Festus videtur docere p. 160, 27 (Thewrewk); cf. Ov. met. I 567.

<sup>2</sup> cf. Nemesian. ecl. III 33 Plaut. Capt. 269 Mil. 768 Pers. 829.

<sup>3</sup> cf. Lueneburg de Ovidio sui imitatore Jena 1888; etiam *sine frondibus arbor* repetitum est met. XIII 689.

<sup>4</sup> cf. thes. ling. Lat. I 185 sq.; quamquam et Cicero semel ea particula usus esse mihi videtur et invectivae in Cic. auctor, quam Reitzensteinus et Schwartzius anno fere a. Chr. 54 scriptam esse coniecerunt (Herm. XXXIII 87 sqq.). Ac ne Lucani quidem Phars. VI 152 extra dubitationem esse puto, quia qui melius sententiae satisfaciat versus vix cogitari potest.

<sup>5</sup> Omisit idem facere scriba VIII 317, cum verba loci explanand causa adscripta: *venit Atalante Schoenei* (vel *Schoeneia* ut legitur X 609) *pulcherrima virgo* non mutaret; quod exemplum monet ne nimis integros versus interpolatos investigemus.

*undique circumstant mersisque in corpore rostris* 249  
*dilacerant falsi dominum sub imagine cervi.* 250  
 Iam incipit nova narratio quam sic exorditur poeta:  
*rumor in ambiguo est: aliis violentior aequo* 253  
*visa dea est, alii laudant eqs.*

Quibus verbis quae dea significetur luce clarius est ex eis quae antecedunt, ut nemo fere causam invenire possit cur nomen ipsum necesse sit addere. Attamen hanc causam alicui fuisse Hauptius putat addendi hos duos versus:

*nec nisi finita per plurima vulnera vita* 251  
*ire pharetratae fertur satiata Dianae.* 252

Qui versus eo quod Leonini dicuntur in suspicionem gravem cum vocari videantur, hoc primum observandum est neque Ovidium neque alios eiusmodi versus omnimodo vitasse; cuius rei exempla ex Valerio, Flacco, Statio, Lucano, Lucretio, Vergilio, Propertio, Ovidio collegit P. Langen in editionis Valerii Flacci pag. 24 et 570. Ovidius quidem exhibet versus Leoninos quos vocant met. VI 247 am. II 5, 31 art. am. I 59 her. VIII 27. Quare ne XIII 378 quidem damnandus mihi videtur alioquin bonus, nisi quod versui Leonino similis est: *si Troiae fatis aliquid restare putatis*. Qui versus quamquam verborum copiam adfert orationi, sententiarum tenori tamen ut in peroratione aptissimus est, quia Ulixes Graecis ut sui recordentur non satis persuadere posse sibi videtur. Accedit quod poeta saepissime tria componit enuntiata, ut Circe exclamat XIV 356 sqq.:

*si modo me novi, si non evanuit omnis*  
*herbarum virtus, si non mea carmina fallunt.*

Sed redeamus ad versus, quos tractaturi eramus. Dilacerandi enim verbum cum non satis mortem significaret, ut mihi quidem videtur aptissime addidit poeta, quamquam necessarium non erat addere, deam non antea poena acquieverisse nisi postquam vita eius evanisset; et quibus Hauptius offenditur verbis *plurima per vulnera*<sup>1</sup>, ea quam maxime decent poetam, utpote qui Procne similiter minantem faciat VI 617, praesertim cum eo exaggeret iram saevitiamque deae. Sed etiamsi quod nego horum versuum eadem sit sententia quae antecedentis, tamen constat poetam ut rhetorum discipulum, qua est facultate narrandi, quo uberius rem illustret saepissime eadem simili modo ponere sententias<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> cf. v. III 237 iam loca vulneribus desunt.

<sup>2</sup> cf. X 722 sq VIII 483 sq. X 215 sq. 614 sq. XI 705 sqq. al.; quare iniuria Pollius X 58 sq. delevit.

Tales autem conclusiones aliis quoque locis viris doctis suspectae visae sunt. Velut eodem libro Echo poeta amore pereuntem fingens curis vexatam omnem corporis sucum amisisse dicit: *vox manet, ossa ferunt lapidis travisse figuram* v. 399. Sequuntur duo versus ab Heinsio primo damnati:

*inde latet silvis nulloque in monte videtur:* 400  
*omnibus auditur. sonus est qui vivit in illa.* 401

Quae verba novi quicquam afferre negant, non prorsus suo iure ut ego indico. Nam ad concludendam totam hanc narrationem aptum erat commemorare et Echo iam necessario, non sua sponte ut ante in silvis versari et ab omnibus illam audiri, quamquam quia vox sola remansisset videri non posset<sup>1</sup>. At verba quae sint *inde latet silvis* non modo inepte ex eis quae antecedant v. 393 *spretata latet silvis* desumpta, sed etiam nulla arte ad priorem versum addita esse dicunt. Alteram tamen offensionem, si quis tanti facit, tollere licet ita, ut cum Bothio<sup>2</sup> *iacet* scribamus, quamquam necesse esse nego; altera nihil valet omnino, quia adverbium quod est *inde* significat temporis momentum a quo quid factum est; quod nos interpretamur: *seitdem*<sup>3</sup>. Simillima est enim conclusio narrationis Hippolyti XV 545 sq.: *hoc nemus inde colo* eqs., simillimus locus Horatianus sat. I 8, 3: *deus inde ego*. Sententiarum vero conexum quo inter se opponuntur enuntiata *nulloque in monte videtur* et *omnibus auditur* et verba ipsa vix poeta indigna esse contendas; neque causa interpolandi inveniri potest.

Libri quarti versus extremos omitto, quia quomodo explicari possent Hauptius, cum eos in suspicionem vocaret, tamen ipse docuit; quamquam mihi verisimilius videtur esse poetam non satis memoria tenuisse non se, sed Perseum loquentem fingi, quem admodum libro XV Pythagoram res enarrantem fecit ab eius aetate alienas<sup>4</sup>. Difficillima autem quaestio est de VI 294, ab-

<sup>1</sup> Neque intercedit quicquam discriminis inter versus 399 et 400, quoniam ossa quae commemoravit poeta quo magis transformationem ad corporis humani naturam formaret ut conspici poterant, ita cum in lapidem mutata vox quae sola supererat deseruisset, non agnoscebantur; Echo igitur ex voce sola constabat quam oculis percipere non licet.

<sup>2</sup> Vindiciae Ovidianae p. 27.

<sup>3</sup> Eadem interpretatio Fleckeiseno cadere videtur in Ter. Heaut. I 1, v. 2.

<sup>4</sup> cf. Ebert Anachronismus in Ovids Metamorphosen Ansbach. Progr. 1888 p. 33 sqq.

surdo illo quidem et supervacaneo ut Hauptio videtur. Sequitur enim versus quibus mors filiae Niobes describitur:

*altera solari miseram conata parentem* 292

*conticuit subito duplicataque vulnere caeco est* 293

versus qui in M et N legitur talis:

*oraque compressit nisi postquam spiritus* 294  
*ibat,*

in Laur.:

*oraque non pressit nisi postquam spiritus exit.*

Qui versus licet absurdus sit, tamen spuriusne recte putetur dubito, quia causam non cognosco cur nescio quis ineptum addiderit. Sententia igitur eruenda est quae ei subest. Ac primum observanda est elocutio quae est *postquam spiritus ibat*, quae minime interpolatorem resipit; ac potius poeta digna est quia verbum eundi nulla voce addita usurpatur pro verbo abeundi vel decedendi, ut Ovidius ipse annos ire dicit art. am. II 663 III 62 aut diem Plaut. Bacch. 1203 aut Lucretius III 526 homines<sup>1</sup>; poetica autem elocutio etiam idcirco videtur, quia particula quae est *postquam* cum tempore imperfecto coniuncta est. Quod legimus Ov. met. I 113 sq.: *postquam . . . sub Iove mundus erat*, XI 717 sq. Catull. 50, 15 Verg. ecl. I 28<sup>2</sup>, quibus locis nimirum rem quae verbo exprimitur etiam tum durare significatur. Quae significatio ne ab hoc quidem loco abhorret. Hunc autem usum quam non cognitum habuerint interpolatores ex codicis Laur. lectione apparet, in quo ut tempus imperfectum emendarent verbi formam *exit* posuerunt. Hoc tamen constat posteriorem versus partem minime cum priore coniungi posse, quia vix credemus Ovidium particulam *nisi* adhibuisse omissa particula *non*, qui usus cum ne in aliis quidem scriptoribus concedi solet<sup>3</sup>, tum a verborum copia Ovidiana maxime aliena est. Quare in Laur. aliquis *non* effecit, cum *compressit* mutaret, eam scilicet secutus opinionem qua nunc quoque elocutionem quae est *ora compressit* idem significare putant atque eam quae antecedit *conticuit subito*<sup>4</sup>. Quod si verum esset, nulla relinqueretur dubitatio quin esset interpolatus versus. Unde elucet aliud significari, quamquam ne ego quidem certo affirmare possum quid exprimere voluerit poeta. Quamquam non

<sup>1</sup> cf. quae Munro ad hunc locum adnotavit.

<sup>2</sup> cf. Draeger Hist. Synt. II 587.

<sup>3</sup> cf. Drakenborch. ad Liv. XXXIV 16, 1.

<sup>4</sup> cf. Ov. met. IX 692, 764 XIV 779.

haesito utrum ora eam comprimere manibus summo dolore vexatam dicat<sup>1</sup> an ore humum pulsare<sup>2</sup>; utraque enim interpretatio eo nomine improbanda videtur, quia in altera manuum significatio desideratur, in altera accusativus *ora* offendit. Hoc autem pro certo habeo aut duas versus 294 partes aut versus 293 et 294 integros non ita a poeta conexos sed neglegenter omissis nonnullis verbis a librario esse conglutinatos. Quod si circumspicimus quid poeta exponere in animo habuerit, pietatem filiae eum laudibus efferre cognoscimus, ut qua solet arte scaenam qua misericordiam commoveat descriptioni admodum terribili inserat. Quam scaenam si non pluribus amplificasset versibus, miraremur. Quid autem addere potuerit si quis quaerat, eum ad alios revoco locos, quibus lingua mortuorum aut lingua abscisa moveri perrexisse dicitur<sup>3</sup>. Similiter Ovidius hoc de quo agimus loco narrare potuit filiam, quamquam vulnere icta conticuisset, tamen, quasi matrem consolari pergeret, linguam movisse osque apertum habuisse, dum spiritus membra relinqueret. Quae sententia loco subesset, si haec fere a poeta scripta essent: *duplicataque vulnere caeco est; <nec tamen omisit linguam misera illa movere> oraque compressit, nisi p. sp. i.* In quo sententiarum tenore particula *que* minime offendit<sup>4</sup>, quia artissime inter se cohaerent duae enuntiati partes pendentes ab eadem particula negativa. Qua re quamquam extra dubitationem vix poni posse hunc locum non ignoramus, tamen videtur praestare versibus divinando et supplendo patrocinari quam delere verba temporum iniuria corrupta.

Non dicam de v. VII 145 sqq. quos optime interpretando defendit Gierigius neque operae pretium est de v. IX 179 et 729 disputare ab Ehwaldio receptis et ab aliis defensis<sup>5</sup>. At v. XI 293 quia etiamnunc sunt qui ab Ovidio abiudicent accuratius tracta-

<sup>1</sup> Ut dolore commota Euryclēa κατέχευτο χερσὶ πρόσωπα Od. XIX 361 et lacrimantem saepe vultum se compressisse ait Cat. LXVI 30; cf. Sittl. Gebärd. d. Griech. u. Röm. p. 275.

<sup>2</sup> Ut Vergilianus ille Aen. XI 668 sq. *cadit atque cruentam mandit humum* (cf. Aen. X 488 sq. XI 418 Ov. met. V, 84) atque de Byblide scripsit Ov. met. IX 650 sq.: *dura positis tellure capillis Bybli iaces frondesque tuo premis ore caducas.*

<sup>3</sup> cf. VI 557 sqq. XI 52.

<sup>4</sup> Exempla huius usus quo negatio continuatur per particulam *et* aut *que* ex Luc. de bell. civ. carmine congressit Francken ad. v. II 40 et in indice s. v. *negatio*; cf. Draeger Hist. Synt. II p. 5 sqq.

<sup>5</sup> cf. Magnus in Fleckeis. ann. 1894 p. 783 sq.

bimus. Daedalionis enim sortem dum narrat, Ceyx ave quadam feroci et crudeli significata sic dicere pergit:

*vir fuit et — tanta est animi constantia — tantum acer erat belloque ferorū ad vimque paratus.*

Quos versus cum non recte intellexissent, facillimam ingressi sunt viam, ut scilicet priorem delerent. Sed dupliciter cum antecedentibus cohaeret, quod altera pars illis opponitur, altera comparisonem affert. Etenim necessaria sunt verba *vir fuit*, quia hominis significatio requiritur, ut VIII 580 Achelous, postquam insulas ostendit, verba opponit: *Naides hae fuerant*<sup>1</sup>, et recte progreditur Ceyx a descriptione universa, qua hominem illum fuisse dicit, ad ingenii eius explanationem, commotus scilicet verbis quae modo fecit: *forsitan hanc volucrem rapto quae vivit et omnes terret aves semper pennas habuisse putetis*; crudelitatem igitur et ferocitatem in Daedalionis iam tum, cum humanam haberet figuram, fuisse exponit. *tantum* autem si legitur pro *tam*, in eo minime offendendum esse, licet rarus sit usus, docent Verg. georg. IV 101, Hor. sat. II 3, 306 313, Lygd. IV 51; quamquam ego confiteor maxime mihi arridere coniecturam Fussii et Riesii qua *iam tum* scribendum esse censuerunt, quod prorsus desideratur temporis significatio ut XIV 758 sq. vel III 345: *nymphis iam tunc qui posset amari*<sup>2</sup>. At in eo haerent quod tempora mutavit poeta, cum iuxta poneret *vir fuit et acer erat*; quam rem nihil valere inde apparet quod paulo infra idem, ut fratrum ingenia diversa depingeret, causa non ex grammaticorum legibus, sed ex metri necessitate sumpta variis temporibus scripsit: *pacis mihi cura tenendae coniugiique fuit, fratri fera bella placebant*; similes loci sunt XII 127 VIII 583—585<sup>3</sup>. Ne tamen mirum videatur quod avis viri indolem servaverit, ideo Ceyx ipse sententiam addit quae est: *tanta est animi constantia*, quae toto sententiarum tenore falso intellecto ut *tantum* aut *iam tum* quod sequitur in *quantum* mutarent nonnullos librariorum adduxit.

<sup>1</sup> Qua re Bentlei coniectura ceteroqui vix probabilis refutatur, qui omisso priore versu in posteriore ex *acer* effecit *frater*.

<sup>2</sup> quare etiam XIII 920 probabilius mihi videtur cum deterioribus et recentiore manu codicis N legi:

*ante tamen mortalis eram, sed scilicet altis  
deditus aequoribus iam tum exercebar in illis,*

praesertim cum quam levis sit emendatio appareat. cf. Ribbeck Prolegom. in Verg. p. 246 Grau de Ovidii met. c. d. Amplon. p. 13 n.

<sup>3</sup> cf. Festschr. f. Vahlen p. 355.

XI 714 quem versum antea in suspicionem vocaverant a Madvigio Quintiliani loco (inst. or. XI 2, 17) allato ita purgatus est ut non sit quod eundem denuo tractemus; neque subsistemus in XIII 230 et 295, quos quamquam omnes exhibent codices Kornius aut solus aut cum Bentleio temerario iudicio delendos esse ratus est, satis eis quidem a novissimo editore defensis. Maxime autem intricata est quaestio de v. XIII 332 qui ab Heinsio proscriptus ut valde depravatus aut adulterinus ab editoribus plerisque omittitur, iniuria videlicet quia ratio postulat ut versus depravatus coniectura sanetur, non deleatur. Leguntur enim in armorum iudicio Ulixis verba, quibus crimen quod propter Philoctetam desertum Ajax ei conflavit ita infirmare studet ut patriae inde quod ille desertus esset nihil periculi imminere dicat, quia dolo et astutia tamen sagittas eius sibi paraturus sit;

<i>sis licet infestus sociis regnique mihi que,</i>	328
<i>dure Philoctete, licet execrere meumque</i>	329
<i>deveas sine fine caput cupiasque dolenti</i>	330
<i>me tibi forte dari nostrumque haurire cruorem</i>	331
<i>utque tui mihi sic fiat tibi copia nostri:</i>	332
<i>te tamen adgrediar mecumque reducere nitar</i>	333
<i>longe formidine pulsa</i>	
<i>sollerti pectore fidus</i>	
<i>nec inultus spero relinquar</i>	

*tamque tuis potiar, faveat Fortuna, sagittis eqs.* 334

De v. 333 quem necessarium esse particula *que* v. 334 demonstrat, quaestio est difficillima et de qua vix aliqua cum probabilitate discernas, quia mature truncatus et pluribus modis videtur suppletus esse, nisi hic quoque plures exstant recensione poetarum. Eum autem qui antecedit sano iudicio Ehwaldius servavit, quamquam eum non satis recte ut opinor interpretatus est; putat enim particula *ut* idem significari quod supra verbo quod est *licet* et verba *tui mihi* et *tibi nostri* in uno posita esse enuntiato ad eandem rem exponendam per figuram quam dicunt ἀντιμεταβολήν, velut Cicero pro Caelio 32, 80: *conservate parenti filium, parentem filio*<sup>1</sup>, particulam *sic* autem legi pro integro enuntiato quod est *cum res ita se habeant*. Verum et illa figura hoc loco ratione caret, cum non confirmet sententiam, sed prorsus turbet, neque particulae *licet* et *ut* recte particula *que* coniunguntur quod non

<sup>1</sup> cf. Volkmann Rhetorik d. Griechen u. Römer<sup>2</sup> p. 488 cf. Plaut. Cas. 2 Aul. 584 Asin. 456.

eadem vis eis subest<sup>1</sup>. Atque si versum ipsum examinamus, puto vix quemquam dubitaturum esse opponere inter se verba quae sunt *ut tui mihi et sic tibi nostri*<sup>2</sup>, ut ea efficiatur sententia quae rei factae ab Ulixē res ficta adiungatur; orans igitur fingitur Philoctetes quod idem Polyphemus cupit XIII 862: *modo copia detur*<sup>3</sup>, ut scilicet eadem in Ulixem sibi licentia praebeatur, quae antea ab illo tractatus sit. Summam enim prae se fert audaciam ille homo versutus, cum ne sic quidem se dubitare simulet quin astutia sua e periculo evasurus illumque in castra reducturus sit. Sed in ambiguo est quo modo illud enuntiatum cuius sententiam eruisse nobis videmur cum antecedenti cohaereat. Equidem conicio id pendere a verbo *cupias* v. 330, ut haec fiat sententia 'etiamsi cupias me tibi tradi ut sanguinem haurias et tibi potestatem fieri de me decernendi, sicut ipse in Graecorum contione de te constitui'. Qua in interpretatione neque particula *que* offendit neque constructio mutata, quia cupiendi verbum non modo infinitivum, sed etiam particulam *ut* aut ea ommissa coniunctivum regere potest, eoque minus quod denuo poeta elocutionem mutavit mirandum est, quia nova sententia et ea gravis additur<sup>4</sup>.

Non rectius viri docti quasi voluptate quadam grassantes saevierunt in versus qui primi sunt Ovidianae de Troia capta narrationis; reverso enim Ulixē cum Philoctetae sagittis

<i>imposita est sero tandem manus ultima bello:</i>	403
<i>Troia simul Priamusque cadunt, Priameia coniunx</i>	404
<i>perdidit infelix hominis post omnia formam</i>	405
<i>externasque novo latratu terruit auras.</i>	406
<i>longus in angustum qua clauditur Hellespontus</i>	407
<i>Ilion ardebat neque adhuc consederat ignis</i>	408
<i>exiguumque senis Priami Iovis ara cruorem</i>	409
<i>combiberat tractisque (N tractaque M) comis antist<sup>4</sup>a</i>	
<i>Phoebi</i>	410
<i>non profecturas tendebat ad aethera palmas.</i>	411

<sup>1</sup> Nam pro verbo *licet* facillime ponas *quamvis*, ut autem si illius viri docti sequimur interpretationem potius pro *si* positum est, quia prior pars enuntiati res quae fiunt continet, posterior rem fictam.

<sup>2</sup> Similiter inter se opponuntur verba Plaut. Aul. 306.

<sup>3</sup> cf. III 391 XII 265.

<sup>4</sup> Quam dicendi rationem etiam apud Ciceronem inveniri, cum interdum ab infinita oratione ad coniunctivum transiretur aut contra, Madvigius ad Cic. de fin. V 9, 25 adnotavit et exemplis illustravit.

Quibus ex versibus Bentleius 404—7, Ehwaldius 404—7 et 409—11 (nam Merkelium et Kornium 409—17 damnantes omitto<sup>1</sup>) delendos esse putaverunt, quamquam causae non satis eos adiuvant manifestae. Priores enim versus 404—7 ob eam causam adulterinos iudicant, quod argumentum praebeant earum quae sequuntur rerum. At omnia optime inter se conexa esse videmus; nam quod dixit poeta sero ultimam manum bello impositam esse, id postulat ut brevis descriptio addatur qua Troia cadere dicatur; cum urbe vero artissime coniunctus est rex, sicut apud Homerum Z 448 sq., ut optime sequatur: *Troia simul Priamusque cadunt*; Priami denique commemoratio quid mirum quod gravius Hecubae fatum in memoriam redigit, quae non modo mortua, sed etiam mutata sit. Neque in elocutione est quo offendaris<sup>2</sup>. Quare etiamsi quae infra accuratius enarrantur complectuntur hi versus, tamen ob eam causam non secludendi erant, ne si nullus quidem alius exstaret locus quo poeta breve argumentum earum quas relaturus esset rerum praemitteret<sup>3</sup>. Sed priusquam res ipsas narret, poeta tempus accuratius circumscribit quo factae sint, sicut tempus definitum est in Actaeonis fabula III 143 sqq.; quod fit versibus qui sunt *Ilion ardebat* eqs. Qua in re certe unus satisfecisset versus; sed neminem fugit Ovidium etiam eas quas omittit res transcurrendo commemorare solere, ut vix mirum sit quod quomodo Priamus mortuus et Cassandra tractata sit paucis verbis exponat. Quas res quin referret paene fieri non potuit, quia qui Vergilium legerant brevem earum rerum mentionem eum flagitabant. Apparet igitur eum Aeneidis narrationem ita secutum esse ut paucas res et eas quidem quae cum poetam

<sup>1</sup> Hanc enim sententiam versus ipsi qui iam alter alterum excipiunt refellere videntur: *Ilion ardebat neque adhuc consederat ignis, iamque viam suadet boreas*, quia celeritas qua Graeci profecti essent a poeta praedicari nec debebat neque ulla cum ratione poterat.

<sup>2</sup> Nam quod mirum dicit Kornius quod legitur *perdidit . . post omnia formam*, nescio cur in eo haereamus, praesertim cum XIII 526 eadem Hecuba exclamet *omnia perdidimus*.

<sup>3</sup> At exstare puto locos similes; nam ubi ad Actaeonis fatum enarrandum se convertit Ovidius haec scripsit III 138 sqq.: *prima nepos inter tot res tibi Cadme secundas causa fuit luctus alienaque cornua fronti addita vosque canes satiatae sanguine erili*, ut non dicam de locis quibus is qui narrat, antequam incipiat exponere res gestas, ipse breviter eas complectitur velut IV 285 sq. 51 sq.

maxime decerent, tum totam fabulam in legentium memoriam revocare possent non ita multis versibus comprehenderet. Quare ut Vergilius: *forsitan et Priami fuerint quae fata requiras* II 506, ita ipse quoque, cum hoc quaeri posse putet, ad illius exemplum (Aen. II 550 sqq.) certe refert verbis his: *exiguumque senis Priami Iovis ara cruorem combiberat*; quae verba poeticum quendam prae se ferunt colorem, cum adiectivum *exiguum* dilucide pingat senem aetate confectum. Qui locus iam Senecae animo videtur obversatus esse, cum scriberet Agam. 656 sqq.: *vidi vidi senis in iugulo telum Pyrrhi via exiguo sanguine tingui*. Neque minus poeta cum Troades aras et templa iam incensa ab hostibus tenentes describit, Vergilii narrationem exprimit, qui Aen. II 515 sqq. scripsit: *hic Hecuba et natae nequiquam altaria circum . . . . condensae et divom amplexae simulacra sedebant*. Neque recte Kornius bis idem de Troadibus narrari opinatur, quia his versibus quo modo ex templis et ab aris raptae capiuntur, inde a versu 420 quomodo patriam relinquere cogantur exponitur. Quodsi illa duo enuntiata genuina sunt, ne media quidem quae interposita est sententia spuria esse potest; quae non minus vestigia imitationis Vergilianae ostendit; sunt enim versus Aen. II 403 sqq.:

*ecce trahebatur passis Priameia virgo  
crinibus a templo Cassandra adytisque Minervae  
ad caelum tendens ardentia lumina frustra,  
lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.*

Atque quod Ovidius tempori plusquamperfecto imperfectum addidit *tendebat* — nam in eo potissimum Ehwaldius haesitavit —, id mihi e ratione totius enuntiati factum videtur, ut haec fere exprimerentur: ‘Expugnata erat Troia et praemia distribuebantur’. Neque offensioni est quod iam poeta rursus tempus mutavit, ut res ipsas tempore praesenti narraret; ut legitur VII 759 sqq. *solverat . . . iacebat . . . linquit . . . immittitur* vel X 503 sqq.: *creverat . . . quaerebat . . . tumet*. In tempore igitur *tendebat* nulla est causa haerendi, est aliqua in eo quod ex fortuna Cassandrae hoc tam breve tempus elegit poeta ut totam Troiae miseriam describeret, quod tamen ut non ineptum est, ita eo magis fieri poterat quod Vergilii versus omnium erant in ore<sup>1</sup>. At lectione corrupta *tractaque* interpolationem satis demonstrari pu-

<sup>1</sup> Verba autem ipsa Ovidio esse digna similis testimonio est locus met. VI 261.

tant, nescio quo iure, quia quod metri ratio stare nequit corruptelae potius quam interpolationis testimonium est. Sed codex N cum deterioribus *tractisque* exhibet, quod an suum teneat locum dubito; cum usum poetarum pensitem quo quod ad alterum substantivum pertinet ad alterum refertur<sup>1</sup>, quamquam necesse non videtur ad hunc usum appellare, quia revera crines Cassandrae trahuntur, quemadmodum *corpus tractum atque laniatum* dicitur a Cicerone or. Phil. XI 5 vel *viscera tracta* Suet. Cat. 28. Sed qui hanc lectionem probabilem non censebit, Heinsii coniecturam recipiat qua *tractata* legendum esse putavit, sicut tractandi verbum adhibetur ab Ennio ann. 140 (ed. Vahlen) et Lucretio III 889 (ed. Lachmann)<sup>2</sup>. Ergo meum iudicium praeterit, cur hi versus subditivi putandi sint, praesertim cum ne ei quidem qui eos proscripserunt causas sat graves attulerint.

Eodem libro XIII maximam difficultatem et quam nisi tollendis aut mutandis versibus solvere non possent viri docti in Polyxenae oratione invenerunt; quae cum Achilli immolanda adducatur, exclamat:

<i>'utere iamdudum generoso sanguine', dixit,</i>	457
<i>'nulla mora est. aut tu iugulo vel pectore telum</i>	458
<i>conde meo!' iugulumque simul pectusque retexit</i>	459
<i>'scilicet haud ulli servire Polyxena vellem.</i>	460
<i>haud per tale sacrum numen placabitis ullum.</i>	461
<i>mors tantum vellem matrem mea fallere posset<sup>3</sup>;</i>	462
<i>mater obest minuitque necis mihi gaudia.</i>	463

Ea enim est librorum memoria, quam interpretando conemur purgare, ne in refutandis falsis coniecturis nimis moremur. Nam

<sup>1</sup> cf. Haase ad Reisigii scholas n. 522.

<sup>2</sup> Nam quo iure particula copulativa in hoc sententiarum tenore opus esse dixerit Ehwaldius viderit ipse, cum etiam quae sequuntur enuntiata particula careant; transit enim poeta a Troia cremata et Priamo occiso ad eos qui vivunt, quorum tria affert exempla, primum Cassandram, tum Dardanidas, deinde Astyanactem. Quare nescio an quis potius contendere possit particulam illam abesse oportere, quia primum exemplum ne a ceteris divellatur non tam arte cum antecedentibus enuntiatis coniungi debeat. Quod non dico quasi comprobem, sed ut videant quam futiles saepe rationes sint quibus uti solent in his quaestionibus.

<sup>3</sup> Qui in hoc versu offendunt, eos ad Hartmanni commentationem revoco quae legitur Mnemos. XVIII 1890 p. 166 sq., imprimis ad met. IX 168 (Riese).

quia paene cunctantem videt Neoptolemum virgo *plus quam femina* ut ait poeta, quae gaudia ex nece percipiat, ultro admonet eum ut ipsam immolet; se nihil morari — hoc enim verbis quae sunt *nulla mora est* significatur. Quam adhortationem repetit, cum accuratius ab eo postulat, ut aut in iugulo aut in pectore telum figat. Quo loco poetam, quamquam concedo non satis apta adhuc prolata esse exempla<sup>1</sup>, particulas *aut et vel* inter se coniunxisse nescio an veri dissimile non sit; partitionem enim tam gravem cur fecerit, ex Euripidis Hec. 563 sqq. apparet<sup>2</sup>. Sed ne mirum videatur ut in virgine, quod ipsa Neoptolemi crudelitatem incitat, se servitutem reformidare dicit; qui versus arte cum superioribus coniungendus est. Iam ad novam sententiam animum convertit qua se consoletur: se non modo liberam mansuram, sed etiam hostes minime ex nece sua fructum capturos esse. Quod cur contendere potuerit, quaerimus; neque enim recte Ehwaldius mihi quidem videtur hoc ad eam opinionem referre, qua hostia invita quia deis ingrata sit nihil putatur prodesse immolantibus (cf. Macr. III 5, 8), cum adeo non invita sacrificetur Polyxena, ut gaudia necis se sentire dicat v. 463, sicut apud Euripidem exclamat v. 544 ἐκούσα θνήσκω. Quare fieri non potest — id quod etiam versu 460 impeditur ne credamus —, ut versus 457—61 unum formare enuntiatum putemus ita, ut imperativos *utere, conde* sequatur ἀπόδοσις quae vocatur: ‘tamen

<sup>1</sup> cf. Magnus Progr. d. Sophiengymn. Berlin 1887 p. 10. Ehwald Burs. Jahresber. 1885 p. 254.

<sup>2</sup> Sunt verba haec: ἰδοῦ τόδ' εἰ μὲν κτέρνων ἢ νεανία παίειν προθυμεί παίον, εἰ δ' ὑπ' ἀχένα χρήσεις, πάρεσσι λαιμόσ εὐτρεπῆς ὄδε. Ceterum si quid mutandum esset, ambigi liceret quid pro *aut* substituendum esset: *quin* quod proposuit Merkelius longius a librorum memoria discedit quam ut probabilis videatur; quod idem in Riesii coniecturam cadit opinantis *vel* scribendum esse. Minus eo numero displicet quod Ehwaldius ante editionem novissimam factam coniecit *age*, quamquam ne id quidem mihi satis ad lectionem traditam conformatum videtur. Maxime confiteor mihi etiamnunc Heinsius quod substituit ex codicibus quibusdam arridere; non enim caret fundamento particula *at*, quia saepissime in exclamationibus votisque adhibetur (cf. Hand Turs. I 440 sqq.), praesertim si qua res opposita animis obversatur. Quod hoc loco fieri puto; etenim Cassandra *nulla mora est* inquit, quod interpretati sumus: ‘ego non moror’; cui sententiae recte opponitur altera qua Neoptolemus ipse ne cunctetur impellitur, id quod optime exprimitur verbis: *at tu* eqs. Et ne *ac* quidem si quis proponat improbable mihi videtur, quo certe, interposita parenthesi illa quae est *nulla mora est*, prior imperativus cum sequentibus coniungeretur. Sed hoc in dubio relinquamus.

*haud placabitis*. Sed videtur exprimere Polyxena sententiam quamdam humaniorem, qua dei purae virginis sacrificio gaudere non putantur<sup>1</sup>. Est sane hic versus in eorum numero quos si non emendaturus, attamen amplificaturus erat poeta, si licuisset; progreditur enim statim ad aliam sententiam, qua Polyxena, ut adhuc laetatur nece et quia libera manebit et quia hostes fructus fallat, ita nunc eas commemorat res, quae ne laeta mortem obeat impediunt. Quas tamen ipse infirmit, cum matri non filiae mortem, sed ipsius vitam terribilem esse ait. Ita animo confirmato ad voluntariam mortem redit virgo et ut manus removeant viri petit, ne coacta mori videatur. Quibus in versibus quod acceptiorem suum sanguinem fore exponit, si libera immoletur, nihil contra dicit illi quod supra deos sua nece non gavisuros esse dixit; nam hoc loco ad eorum qui sacra faciunt opinionem se accommodat, quo facilius impetret ut illi manus quibus offendatur abstineant. Arte igitur omnia inter se cohaerent et hoc unum vitii inesse in versibus concedendum est quod sententias cetero qui pulchras et orationis tenori aptas non satis copiose poeta explicuit.

Accedimus ad v. XIV 385. Circe enim Picum conspicata postquam frustra ad amorem allicere studuit, ad minas descendit: *'non impune ferēs neque'* ait *'reddere Caenanti;* - 383  
*laesaque quid faciat, quid amans, quid femina, disces* 384  
*rebus'* ait, *'sed amans et laesa et femina Circe'*. 385

Qua in oratione placet repetitio eorundem verborum non sine arte facta<sup>2</sup>, displicet verbum *ait* bis positum<sup>3</sup>; neque enim bis usum esse poetam eodem verbo, praesertim in tam presso sermone credemus, nisi forte particula *que* ad posterius *ait* relata<sup>4</sup> duas voluit esse orationes brevissimas et quibus deae ira clarissime eluceret. Qua in interpretatione tamen minus probandum videtur quod verbum dicendi non mutavit, id quod non iam offenderet versu interposito. Sed fortasse etiam levioere medela in-

<sup>1</sup> cf. Eur. Iph. Aul. 1595

<sup>2</sup> cf. Festschr. f. Vahlen p. 344 sqq.

<sup>3</sup> Nam quod in elocutione *disces rebus* offendunt, id non recte fit quia similes sunt loci Ov. art. am. I, 12, 27 Verg. Aen. VIII 151; neque est cur in particula *sed* v. 385 haereamus; nam quoniam exposuit poeta fore ut ille quo modo ulcisceretur femina laesa et amore instigata disceret, iam addit timoris augendi causa: Sed hoc non satis est dicere; nam femina illa est Circe maga famosa.

<sup>4</sup> quo de usu cf. Haupt Op. III 510.

digent versus; tolleret enim optime offensionem Heinsii coniectura, qui v. 383 *neque enim reddere* scripsit, nisi parum quo modo corrupta esset lectio appareret. Quod nescio an minus cadat in verba: *neque iam reddere*. Sed utut est, Ovidianos certe esse versus 384 et 385 ex forma et arte ipsa apparet. Simillime denique poeta tres enuntiati partes per gradationem inter se conexuit V 507 sq.: *sed regina tamen, sed opaci maxima mundi, sed tamen inferni pollens matrona tyranni*.

Sed is locus fortasse sanari posse, desperandum esse viris doctis videtur de v. XIV 739, quo loco postquam Iphis laqueo vitam finivit ipsam ante Anaxaretes portam,

<i>icta pedum motu trepidantem et multa timentem</i>	739
<i>visa dedisse sonum est adaperataque ianua factum</i>	740
<i>prodidit;</i>	741

quamquam facillime locum corruptum delendo sanare sibi videntur Merkelius, Kornius, Postgatus. At optime versus inter se cohaerere concedendum est, quibus porta pedibus mortui icta sonum dare visa et ob eam causam aperta esse dicitur<sup>1</sup>. Duabus tamen in rebus difficultas inesse mihi videtur. Nam audacissima est elocutio qua sonus trepidans et timens dicitur, quia qui edit trepidat et timet; quamquam legitur *trepidum iter* Ib. 261, *trepida fuga* trist. I 10, 10. Quantum vero distat ab hoc loco quod *cuminum pallens* dicit Pers. sat. V 55, *exsanguie* Hor. epist. I 19, 18, quia exsanguies vel pallentes fiunt qui bibant, *ocellum* idem Pers. I 18 *patrantem*, quia patrantis est; neque dissimilis est Valerii Flacci elocutio qui IV 401 eos qui pallent *pallentia* fingit iungentes *oscula* et VII 525 anguis dicit *trepidantia sibila*. Tantam autem translationis audaciam ne nostris quidem poetis esse inusitatam carmen Schilleri testimonio est quod inscribitur: Das Ideal und das Leben, in quo leguntur haec: *Nur dem Ernst, dem keine Mühe bleichet*, quamquam non gravitas ipsa, sed homo gravis et strenuus pallescit. Quare nescio an audacter sed digne

<sup>1</sup> Non item sententiae satisfacit legere cum Merkelio: *icta pedum motu est adaperataque* eqs., quod in sono ipso causa aperiendi inest. Magis eo nomine arridet Heinsii emendatio, qui *trepidantum* legit, ut ad pedes in morte quasi vibratos pertineret, nisi quod iam ex particula *et* ei ut efficiendum fuit; *gementem* denique quod pro *timentem* scripsit, obstat codicum M et N testimonium. Accedit quod verba *trepidantem et multa timentem* optime inter se coniunguntur ut XIII 73 sq.: *trementem pallentemque metu et trepidantem morte futura*.

dici possit persona trepidantem et timentem edere sonum. Sed altera exstat difficultas, quod de persona eo quem tractamus loco omnino non agitur; quae tamen difficultas nihil fere valet, cum poetas deceat etiam res tamquam personas sentientes et cogitantes fingere. Ianuam enim non modo loquentem, sed etiam auribus instructam facit Catullus c. LXVII 44, flentem Propertius I 16, parietis invidiam vituperat Ovidius met. IV 73, qui idem lyram queri narrat XI 52; montes autem et arbores flere satis constat ex Theocr. VII 74, Verg. ecl. X 13, Stat. Achill. I 238 epitaph. Bion. 1 sqq.; lucernam denique invidia et amore commotam met. V 23, ferrum timens V, 22 dicit Apuleius. Sed est etiam qui verborum similitudine ipsa Ovidianum esse hunc locum defendat versus in Meleagri fabula; nam cum Althaea lignum ut filio vitam eriperet in ignes coniceret met. VIII 513 sq.,

*aut dedit aut visus gemitus est ipse dedisse  
stipes ut invitis correptus ab ignibus arsit.*

Evanuit igitur haec quoque difficultas, neque est cur hunc locum temptare pergant, quam alii fortasse aliis fulcient exemplis.

Restant duo libri XV loci quos spurios aut certe corruptos esse inter se consentiunt viri docti. Ac prior quidem enumerationem continet locorum quos pererrans Myscelus attingit. Qua in re minime Ehwaldio assentior, qui consulto Ovidium ordinem locorum miscuisse putat, quo evidentius errores significaret. Nam per omnia tempora eadem lex fuit poetis ut in enumerationibus ordinem servare non deberent: atque qui locos quos Ehwaldius affert IX 646 sqq. et VII 460 sqq. perpendet, quibus addendus est II 224 sqq., Ovidium enumerare cognoscet, prout vel libido vel metri necessitas ferat. Neque aliter Vergilius, ubi quae Troiani navibus ad Italiam appulsis viderint enarrat III 551 sqq., primo ab oriente ad occidentem et a septentrione ad meridiem versus progrediens primum Tarentum, tum Lacinium promunturium affert, deinde inverso ordine: *Caulonisque arces et navifragum Scylaceum*; iam ad priorem ordinem reversus Aetnam addit; atque cum Delo ad Cretam quo modo profecti sint exponat, hunc insularum ordinem affert ratione carentem: *bacchatamque iugis Naxos viridemque Donusam, Olearon niveamque Paros* eqs. III 125 sq. Haec igitur si quis considerabit, non mirabitur Ovidium codice Amploniano auctore<sup>1</sup> errores Mysceli enarrare ita XV 49 sqq.:

<sup>1</sup> Nam Laur., qui cum iam desint codicum M et N testimonia vetustissimus auctor est, *Neretum* et *Tarentum* errore transposuit, quo facto Hauniensis etiam adiectiva locum mutare iussit.

	<i>aequor</i>	49
<i>navigat Ionium Lacedaemoniumque Tarentum</i>		50
<i>praeterit et Sybarin Sallentinumque Neretum</i>		51
<i>Thurinosque sinus Crimisenuque et Iapygis arva.</i>		52

Eum igitur locorum ordinem si examinamus, poetam cognoscimus oram Italiae sequentem ab oriente progredi ad occidentem; nam ex mari Ionio Tarentum illum et Sybarin praetervehentem, deinde, postquam poetica usus licentia ad Neretum commemorandum rediit, per Thurinos sinus ad Crimisam — si modo hoc recte substituitur pro eo quod in codicibus est *Nemesenuque* aut *Temesenuque* — et Iapygum promunturia et ad Aesarum flumen iter pergentem facit<sup>1</sup>. Neque magis haerebimus in eo quod Thurinos sinus dicit qui sane vicini sunt urbi Sybaritarum neque illis temporibus Thuriis nondum conditis hoc nomine appellari potuerunt, quoniam poetas neque historiam curare constat nec in his quidem rebus accuratos esse idem illud Vergilii exemplum docet qui praeter insulas illas quasi non sint ex earum numero, *sparsas per aequor Cycladas* affert.

Ultimus de quo agamus locus invenitur in Pythagorae oratione. Nam cum omnia mutari explicet philosophus etiam ab urbibus olim claris, tum ignobilibus exemplum petit. Ac primum quidem Troiam affert, quae olim magna fuerit, iam humilis sit; pergit poeta<sup>2</sup>:

<i>clara fuit Sparte, magnae viguere Mycenae,</i>	426
<i>nec non et Cecropis nec non Amphionis arces<sup>3</sup>.</i>	427

Qui hos genuinos iudicat versus, apparet ei etiam concedendum esse oppositos fuisse his alios quibus illa gloria et potestas iam non durare diceretur; quare mirum est quod Ehwaldius Lachmannum<sup>4</sup> secutus hos in textu reliquit, eos qui sequuntur expulit. Sequuntur enim hi:

<i>vile solum Sparte est, altae cecidere Mycenae.</i>	428
<i>Oedipodionidae quid sunt nisi nomina Thebae?</i>	429
<i>Quid Pandioniae restant nisi nomen Athenae?</i>	430

Verba ipsa si contemplamur, pulcherrima sunt poetaque dignissima,

<sup>1</sup> At qui librum Hauniensem sequendum esse putabit, ne is quidem quia Sybaris et Tarentum inverso ordine afferuntur, cur offendat habeat.

<sup>2</sup> Optime hos versus defendit Iahnus in editione Gierigii.

<sup>3</sup> Qui putidum iudicant hunc versum esse propter repetitas particulas *nec non*, eos ad VII 230 revoco, vel Verg. Aen. I 707, 748 III 352.

<sup>4</sup> comment in Lucr. p 417.

quippe cum eundem morem redeundi interposito uno versu ad ea quae dicta sunt aliis locis<sup>1</sup> inveniamus ut III 353—5, IV 306—9. Sed concedendum est Pythagorae personae haec non apta esse; quam loqui quod oblitus est poeta<sup>2</sup>, ea re minime offendimur, quoniam idem Pythagoras v. 293 Burin et Helicen sub aquis inveniri dicit, quae urbes multis annis post eius mortem mari mersae sunt. At ne poetam quidem haec exponere potuisse dicunt, quia et Spartam et Thebas et Athenas Ovidii aetate superfuisse constet. Quod argumentum qui multum valere putat, ei hi versus a 426 ad 430 omnes delendi sunt neque sat est unum vel alterum proscribere. Sunt autem qui necesse esse concedant opponi urbibus claris statum humillimum, negent de Athenis; qui aut versus 427 et 429 sq. aut 427 et 430 secludendos esse putant. Quod minime probabile esse ordo versuum ipse docet. Nam si quis inseruisset Athenarum et Thebarum nomina, non separasset inter se versus 426 et 428 arte cohaerentes et si quis Thebas bis nominandas esse ratus ad versum 429 addidisset 427, non tam artificiose segregasset illos qui antecederent neque Athenarum nomen immiscuisset. Sed neque Troia non erat Ovidii aetate, quamquam si ad antiquam memoriam respicis nihil erat nisi nomen, neque Sparta, Thebae, Athenae etsi erant, quicquam pristinarum opum servaverant. Horatius quidem ep. II- 2, 81 vacuas dicit Athenas<sup>3</sup>, quia tumultu magnae urbis carebat; quod scilicet recte fecit, praesertim cum etiam Piraeus deletus maneret teste Strabone (IX 1, 15 et XIV 2, 9) et insulae agrique Atticae vasti essent (IX 1, 21)<sup>4</sup>; Lucanus autem Phars. III 181 Athenas dixit exhaustas et quae vix tres naves mittere possent, Dio Chrysostomus denique incolas ἐχάτως ἀπολωλότας or. XXXI 123; neque aliter Plinius ep. VIII 24, 4 Athenas et Lacedaemonem ut Maximo commendaret haec scripsit: *habe ante oculos . . . Athenas esse quas adeas, Lacedaemonem esse quam regas; quibus reliquam umbram et residuum libertatis nomen eripere durum ferum barbarum est.* Thebas autem etiam viliores fuisse, cum vix

<sup>1</sup> cf. Festschr. f. Vahlen p. 345.

<sup>2</sup> Quae Ovidius contra rationem temporis peccaverit, vide ap. Gierigium I p. XXXV et Ebertum Anachronism. in Ovids Metamorphosen Progr. Ansbach 1888 p. 33 sq.

<sup>3</sup> cf. Hertzberg Gesch. Griechenl. I 386, 487, Friedländer Darstell. aus d. röm. Sittengesch. II 125. Ἀττικὴν πενίαν commemorat Luc. fug. 24.

<sup>4</sup> cf. Cic. ep. ad fam. IV 5, 4.

arx incoletur, Strabo IX 2, 5 testis est<sup>1</sup>. Accedit quod poeta non de urbibus solis, sed de civitatibus imperiisque earum loquitur. Quod si respicimus, apparet poetae licuisse omnes illas urbes, si comparabat cum pristina earum condicione, nihil iam esse nisi nomina dicere<sup>2</sup>. Neque Sparta quamquam admodum magna erat urbs eximenda erat quod ἡ Λακωνικὴ λειπανδρεῖ κρινομένη πρὸς τὴν παλαιὰν εὐανδρίαν, ut ait Strabo VIII 4, 11, auctoritate denique ea qua Agesilai temporibus fuerat imperium Lacedaemoniorum Ovidii aetate iam non erat. Quae cum ita sint, versus 426—30, si modo recte interpretamur, tolerari posse mihi videntur, praesertim cum artem Ovidianam quam maxime deceant; nominis enim vocabulo similiter utuntur Verg. Aen. VII 412: *et nunc magnum manet Ardea nomen* et Sil. Ital. I 293, X 582<sup>3</sup>. Ergo neque omnes nec singulos ex illis versibus delebimus.

Sed iam subsistamus; nam quamquam etiam plures ut diximus versus viri docti poetae abiudicaverunt suae potius sagacitatis demonstrandae causa quam firmis commoti argumentis, tamen non opus est omnes quicumque in suspicionem vocati sunt defendamus, ne vanā agamus aut cramben repetitam denuo repetamus. Quare satis habemus in locis maxime exagitatis ostendisse metamorphoseon carmen non tam corruptum esse interpolationibus quam opinantur.

Berolini.

R. Helm.

<sup>1</sup> Leguntur enim haec: ἔξ ἐκείνου δ' ἤδη πρᾶττοντες ἐνδεέστερον αἰεὶ μέχρι εἰς ἡμᾶς οὐδὲ κώμης ἀξιολόγου τύπον σφίζουσι et IX 2, 25 ex.: πρότερον μὲν οὖν ὑφόμενοι τὸν Ἑρωτὰ τινες ἀνέβαινον ἐπὶ τὴν Θέσπειαν ἄλλως οὐκ οὔσαν ἀξιοθέατον, νυνὶ δὲ μόνη συνέστηκε τῶν Βοιωτικῶν πόλεων καὶ Τάναγρα· τῶν δ' ἄλλων ἐρείπια καὶ ὀνόματα λέλειπται.

<sup>2</sup> Ceterum qua libertate in his rebus, ut vim argumentorum augerent, vel contra veritatem et poetae et oratores usi sint, testis est Lycurgus qui in Leocr. 62 exclamat: τὴν Τροίαν τίς οὐκ ἀκήκοεν ὅτι μεγίστη γεγενημένη τῶν τότε πόλεων . . ., ὡς ἅπαξ ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων κατεσκάφη, τὸν αἰῶνα ἀοίκητός ἐστι. At erat Troia Lycurgi temporibus et habitabatur. (cf. Haubold de reb. Pliensium Lips. diss. 1888 p. 12 sqq.).

<sup>3</sup> cf. Liv. V 18, 4. Tac. hist. IV 75.